

30th Latin Summer School

January 2023

Class 3 b i

Tutors:

Sarah Lawrence and Michelle McVeigh

# Latin Summer School 2023



Level 3B

## A Week in the Italian Countryside

Tutors: Drs Sarah Lawrence and Michelle McVeigh

## Salvete Omnes!

Welcome to the 2023 Latin Summer School, Level 3B!

By request, we are enjoying a Roman Holiday this year, choosing to spend this week with some Classical authors in the Italian countryside.

On the following pages you will find the texts that we are planning to read and discuss this week. We may not cover all the texts, nor is it likely that they will be covered in the order in which they appear: much of the week's structure will largely be determined by your interests.

If you wish to prepare the texts in advance, you may find some of the following commentaries helpful:

- K. Freudenburg, *Horace: Satires Book II*. CUP, 2021
- S. Braund, *Juvenal: Satires Book I*. CUP, 2008

There are, of course, many excellent student guides and commentaries out there, so please don't feel obliged to consult only these ones!

Looking forward to seeing you in January,  
Sarah and Michelle.

## City vs. Country: Round 1

*Horace, Sermones II.vi*

*You can take the boy out of the country but ... well, you know how the rest goes!* Quintus Horatius Flaccus (a.k.a. Horace) was born in the Italian town of Venusia c. 65BCE. One of the foremost poets of the Triumviral and Augustan eras, he produced many poems celebrating the joys of a simple life in the country. This poem is particularly well-known because it treats Horace's relationship with Maecenas and retells the fable of the city mouse and the country mouse.

Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,  
hortus ubi et tecto vicinus iugis aquae fons  
et paulum silvae super his foret. auctius atque  
di melius fecere. bene est. nil amplius oro,  
Maia nate, nisi ut propria haec mihi munera faxis. 5  
si neque maiorem feci ratione mala rem  
nec sum facturus vitio culpave minorem,  
si veneror stultus nihil horum 'o si angulus ille  
proximus accedat, qui nunc denormat agellum!'  
'o si urnam argenti fors quae mihi monstret, ut illi, 10  
thesauro invento qui mercennarius agrum  
illum ipsum mercatus aravit, dives amico  
Hercule!', si quod adest gratum iuvat, hac prece te oro:  
pingue pecus domino facias et cetera praeter  
ingenium, utque soles, custos mihi maximus adsis. 15

\* \* \*

septimus octavo propior iam fugerit annus, 40  
ex quo Maecenas me coepit habere suorum  
in numero, dumtaxat ad hoc, quem tollere raeda  
vellet iter faciens et cui concredere nugas  
hoc genus: 'hora quota est?' 'Thraex est Gallina Syro par?'  
'matutina parum cautos iam frigora mordent', 45  
et quae rimosa bene deponuntur in aure.  
per totum hoc tempus subiectior in diem et horam  
invidiae noster. ludos spectaverat, una  
luserat in campo: 'fortunae filius' omnes.  
frigidus a rostris manat per compita rumor: 50  
quicumque obvius est, me consultit: 'o bone—nam te  
scire, deos quoniam propius contingis oportet—,  
numquid de Dacis audisti?' 'nil equidem.' 'ut tu

semper eris derisor.' 'at omnes di exagitent me,  
si quicquam.' 'quid? militibus promissa Triquetra  
praedia Caesar an est Itala tellure datus?' 55  
iurantem me scire nihil mirantur ut unum  
scilicet egregii mortalem altique silenti.  
perditur haec inter misero lux non sine votis:  
o rus, quando ego te adspiciam quandoque licebit 60  
nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis  
ducere sollicitae iucunda oblivia vitae?  
o quando faba Pythagorae cognata simulque  
uncta satis pingui ponentur holuscula lardo?  
o noctes cenaeque deum, quibus ipse meique 65  
ante Larem proprium vescor vernasque procacis  
pasco libatis dapibus. prout cuique libido est,  
siccata inaequalis calices conviva solutus  
legibus insanis, seu quis capit acria fortis  
pocula seu modicis uescit laetius. ergo 70  
sermo oritur, non de villis domibusve alienis,  
nec male necne Lepos saltet; sed, quod magis ad nos  
pertinet et nescire malum est, agitamus, utrumne  
divitiis homines an sint virtute beati,  
quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos 75  
et quae sit natura boni summumque quid eius.  
Cervius haec inter vicinus garrit anilis  
ex re fabellas. si quis nam laudat Arelli  
sollicitas ignarus opes, sic incipit: 'olim  
rusticus urbanum murem mus paupere fertur 80  
accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum,  
asper et attentus quaesitis, ut tamen artum  
solveret hospitiis animum. quid multa? neque ille  
sepositi ciceris nec longae invidit avenae,  
aridum et ore ferens acinum semesaque lardi 85  
frusta dedit, cupiens varia fastidia cena  
vincere tangentis male singula dente superbo,  
cum pater ipse domus palea porrectus in horna  
esset ador loliumque, dapis meliora relinquens.  
tandem urbanus ad hunc "quid te iuvat" inquit, "amice, 90  
praerupti nemoris patientem vivere dorso?  
vis tu homines urbemque feris praeponere silvis?  
carpe viam, mihi crede, comes, terrestria quando  
mortalis animas vivunt sortita neque ulla est  
aut magno aut parvo leti fuga: quo, bone, circa, 95  
dum licet, in rebus iucundis vive beatus,

vive memor, quam sis aevi brevis." haec ubi dicta  
 agrestem pepulere, domo levis exsilit; inde  
 ambo propositum peragunt iter, urbis aventes  
 moenia nocturni subrepere. iamque tenebat      100  
 nox medium caeli spatium, cum ponit uterque  
 in locuplete domo vestigia, rubro ubi cocco  
 tincta super lectos canderet vestis eburnos  
 multaque de magna superessent fercula cena,  
 quae procul exstructis inerant hesterna canistris.      105  
 ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit  
 agrestem, veluti succinctus cursitat hospes  
 continuatque dapes nec non verniliter ipsis  
 fungitur officiis, praelambens omne quod adfert.  
 ille cubans gaudet mutata sorte bonisque      110  
 rebus agit laetum convivam, cum subito ingens  
 valvarum strepitus lectis excussit utrumque.  
 currere per totum pavidi conclave magisque  
 exanimis trepidare, simul domus alta Molossis  
 personuit canibus. tum rusticus: "haud mihi vita      115  
 est opus hac" ait et "valeas: me silva cavosque  
 tutus ab insidiis tenui solabitur ervo."



*2<sup>nd</sup> century mosaic showing a mouse eating a nut.*



*1<sup>st</sup> century bronze mouse.*

## City vs. Country: Round 2

*Juvenal, Satire III.190-231*

*So why would you want to live in the country? Umbricius, from Juvenal's third satire, gives us many compelling reasons, among them shoddy building standards and the danger of fire in the city.*

|  |  |
|--|--|
| Quis timet aut timuit gelida Praeneste ruinam<br>aut positis nemorosa inter iuga Volsiniis aut<br>simplicibus Gabiis aut proni Tiburis arce?<br>nos urbem colimus tenui tibicine fultam<br>magna parte sui; nam sic labentibus obstat<br>vilicus et, veteris rimae cum texit hiatum,<br>securos pendente iubet dormire ruina.<br>vivendum est illic, ubi nulla incendia, nulli<br>nocte metus. iam poscit aquam, iam frivola transfert<br>Ucalegon, tabulata tibi iam tertia fumant:<br>tu nescis; nam si gradibus trepidatur ab imis,<br>ultimus ardebit quem tegula sola tuetur<br>a pluvia, molles ubi reddunt ova columbae.<br>lectus erat Cordo Procula minor, urceoli sex<br>ornamentum abaci, nec non et parvulus infra<br>cantharus et recubans sub eodem marmore Chiron,<br>iamque vetus Graecos servabat cista libellos<br>et divina opici rodebant carmina mures.<br>nil habuit Cordus, quis enim negat? et tamen illud<br>perdidit infelix totum nihil. ultimus autem<br>aerumnae cumulus, quod nudum et frusta rogantem<br>nemo cibo, nemo hospitio tectoque iuvabit. | 190<br>195<br>200<br>205<br>210<br>215 |
| Si magna Asturici cecidit domus, horrida mater,<br>pullati proceres, differt vadimonia praetor.<br>tum gemimus casus urbis, tunc odimus ignem.<br>ardet adhuc, et iam accurrit qui marmora donet,<br>conferat inpensas; hic nuda et candida signa,<br>hic aliquid praeclarum Euphranoris et Polycliti,<br>haec Asianorum vetera ornamenta deorum,<br>hic libros dabit et forulos mediamque Minervam.   |  |

hic modium argenti. meliora ac plura reponit  
Persicus orborum lautissimus et merito iam  
suspectus tamquam ipse suas incenderit aedes.

220

Si potes avelli circensibus, optima Sorae  
aut Fabrateriae domus aut Frusinone paratur  
quanti nunc tenebras unum conducis in annum.  
hortulus hic puteusque brevis nec reste movendus  
in tenuis plantas facili diffunditur haustu.  
vive bidentis amans et culti vilicus horti  
unde epulum possis centum dare Pythagoreis.  
est aliquid, quocumque loco, quocumque recessu,  
unius sese dominum fecisse lacertae.

225

230



# Practical Farming Advice

*Cato (the Elder), de agri cultura, pr. & 1-2*

*Cato the Elder (or the Censor – 234-149 BCE) is often thought of as the first prose writer in Latin. He wrote many things (including a history of Rome which he had copied out in large print for his children to use as they learned to read) but little remains. Here is the opening of his text explaining how to go about successful farming. You will note that some of his Latin is a little strange – he is writing so early that there are archaic characteristics – there is a list of common archaisms below the text.*

Pr. [PRAEFATIO] Est interdum praestare mercaturis rem quaerere, nisi tam periculosum sit, et item foenerari, si tam honestum. Maiores nostri sic habuerunt et ita in legibus posiverunt: furem dupli condemnari, foeneratorem quadrupli. Quanto peiorem civem existimarint foeneratorem quam furem, hinc licet existimare. Et virum bonum quom laudabant, ita laudabant: bonum agricolam bonumque colonum; amplissime laudari existimabatur qui ita laudabatur. Mercatorem autem strenuum studiosumque rei quaerendae existimo, verum, ut supra dixi, periculosum et calamitosum. At ex agricolis et viri fortissimi et milites strenuissimi gignuntur, maximeque pius quaestus stabilissimusque consequitur minimeque invidiosus, minimeque male cogitantes sunt qui in eo studio occupati sunt. Nunc, ut ad rem redeam, quod promisi institutum principium hoc erit.

[1] Praedium quom parare cogitabis, sic in animo habeto: uti ne cupide emas neve opera tua parcas visere et ne satis habeas semel circumire; quotiens ibis, totiens magis placebit quod bonum erit. Vicini quo pacto niteant, id animum advertito: in bona regione bene nitere oportebit. Et uti eo introeas et circumspicias, uti inde exire possis. Ut bonum caelum habeat; ne calamitosum siet; solo bono, sua virtute valeat. Si poteris, sub radice montis siet, in meridiem spectet, loco salubri; operariorum copia siet, bonumque aquarium, oppidum validum prope siet; aut mare aut amnis, quae naves ambulant, aut via bona celerisque. Siet in his agris qui non saepe dominum mutant: qui in his agris praedia vendiderint, eos pigate vendidisse. Ut bene aedificatum siet. Caveto alienam disciplinam temere contemnas. De domino bono bonoque aedificatore melius emetur. Ad villam cum venies, videto vasa torcula et dolia multane sient: ubi non erunt, scito pro ratione fructum esse. Instrumenti ne magni siet, loco bono siet.


Videto quam minimi instrumenti sumptuosusque ager ne siet. Scito idem agrum quod hominem, quamvis quaestuosus siet, si sumptuosus erit, relinqu non multum. Praedium quod primum siet, si me rogabis, sic dicam: de omnibus agris optimoque loco iugera agri centum, vinea est prima, vel si vino multo est; secundo loco hortus irriguus; tertio salictum; quarto oletum; quinto pratum; sexto campus frumentarius; septimo silva caedua; octavo arbustum; nono glandaria silva.

[2] Pater familias, ubi ad villam venit, ubi larem familiarem salutavit, fundum eodem die, si potest, circumeat; si non eodem die, at postridie. Ubi cognovit quo modo fundus cultus siet, opera quaeque facta infectaque sient, postridie eius diei vilicum vocet, roget quid operis siet factum, quid restet, satisne temperi opera sient confecta, possitne quae reliqua sient conficere, et quid factum vini, frumenti aliarumque rerum omnium. Ubi ea cognovit, rationem inire oportet operarum, dierum. Si ei opus non apparet, dicit vilicus sedulo se fecisse, servos non valuisse, tempestates malas fuisse, servos aufugisse, opus publicum effecisse. Ubi eas aliasque causas multas dixit, ad rationem operum operarumque revoca. Cum tempestates pluviae fuerint, quae opera per imbrex fieri potuerint: dolia lavari, picari, villam purgari, frumentum transferri, sterlus foras efferri, stercilinum fieri, semen purgari, funes sarciri, novos fieri, centones, cuculiones familiam oportuisse sibi sarcire; per ferias potuisse fossas veteres tergeri, viam publicam muniri, vepres recidi, hortum fodiri, pratum purgari, virgas vinciri, spinas runcari, expinsi far, munditas fieri; cum servi aegrotarint, cibaria tanta dari non oportuisse. Ubi cognita aequo animo sient quae reliqua opera sient, curari uti perficiantur. Rationes putare argentariam, frumentariam, pabuli causa quae parata sunt; rationem vinariam, oleariam, quid venerit, quid exactum siet, quid reliquum siet, quid siet quod veneat; quae satis accipiunda sient, satis accipientur; reliqua quae sient, uti compareant. Si quid desit in annum, uti paretur; quae supersint, uti veneant; quae opus sient locato, locentur; quae opera fieri velit et quae locari velit, uti imperet et ea scripta relinquat. Pecus consideret. Auctionem uti faciat: vendat oleum, si pretium habeat; vinum, frumentum quod supersit, vendat; boves vetulos, armenta delicula, oves deliculas, lanam, pelles, plostrum vetus, ferramenta vetera, servum senem, servum morbosum, et si quid aliud supersit, vendat. Patrem familias vendacem, non emacem esse oportet.

Here is a list of common orthographical differences found in early Latin:

A long -i- is written -ei-, for instance ubei for ubi, utei for uti, quei for qui;  
a long -u- is written -ou-, e.g. iousisent for iusisent; coniourase for coniurase; plous for plus; noundinum for nundinum;  
the diphthong ai is used instead of ae;  
the diphthong oi is used instead of oe (e.g. foidus for foedus)  
a final -d on certain words is the early ablative singular ending, e.g. de...sententiad, in preivatod; suprad;  
it is regular to find the combination uol- rather than the classical uul- where the u is consonantal, e.g. uolt, uoltis, uolqus, uolnus;  
other places a classical Latin –u- is written –o- (e.g. poplico = publico);  
there are no double consonants. This is especially important to note for perfect infinitives (-ise for –isse) and pluperfect subjunctives (-iset/-isent for -isset/-issent);  
also velet for vellet; ese for esse; iousisent for iussisent;  
the consonant qu- is found where c- would be expected, e.g. quom for cum; quoi for cui;  
the archaic ending -ai is used instead of -ae for nouns of the first declension;  
the archaic ending –um is used instead of –orum for the genitive plural in the second declension;  
the ending –is is the standard accusative plural ending on third declension,  
nonincreasing nouns;  
gerund(ive) forms are often found in –undus, rather than –andus, -endus, -iendus as expected.  
superlative adjectives are often found with the termination –issimus rather than –issimus.  
the pronoun hic, haec, hoc ends with -e, e.g., haice for haec;  
the archaic ending for the present passive infinitive, -ier, is used, e.g. figier; gnoscier.

If you are interested in the way Latin changed, you can find a more comprehensive set of morphological changes and the explanations for these changes in Palmer, *The Latin Language* or Allen, *Vox Latina*.<sup>1</sup>



This is an image of the Duenos inscription; currently the earliest known (7<sup>th</sup>-5<sup>th</sup> BCE) text.

<sup>1</sup> Taken from teaching materials for CLLA301 at the University of New England

## Farming for Gentlemen

*Columella, de re rustica, 1.7*

*Columella's work on farming was heavily indebted to Cato, although it was written in the first century CE. As becomes clear, the average Roman reader was not imagined to farm their own land! Instead, Columella here gives advice for managing the tenants and enslaved peoples who will do the majority of the work.*

1.7 His omnibus ita vel acceptis vel compositis, praecipua cura domini requiritur, cum in ceteris rebus, tum maxime in hominibus. Atque hi vel coloni vel servi sunt, soluti aut vinci. Comiter agat cum colonis, facilemque se praebeat. Avarius opus exigat quam pensiones, quoniam et minus id offendit, et tamen in universum magis prodest. Nam ubi sedulo colitur ager, plerumque compendium, numquam (nisi si caeli maior vis aut praedonis accessit) detrimentum affert, eoque remissionem colonus petere non audet. Sed nec dominus in unaquaque re, cum colonum obligaverit, tenax esse iuris debet, sicut in diebus pecuniarum, ut lignis et ceteris parvis accessionibus exigendis, quarum cura maiorem molestiam quam impensam rusticis licet. Nec sane est vindicandum nobis quidquid licet. Nam summum ius antiqui summam putabant crucem. Nec rusus in totum remittendum, quoniam vel optima nomina non appellando fieri mala fenerator Alphius dixisse verissime fertur. Sed et ipse nostra memoria veterem consularem virumque opulentissimum L. Volusium asservantem audivi, [patris familias] felicissimum fundum esse, qui colonos indigenas haberet, et tamquam in paterna possessione natos iam inde a cunabulis longa familiaritate retineret. Ita certe mea fert opinio, rem malam esse frequentem locationem fundi; peiorem tamen urbanum colonum, qui per familiam mavult agrum quae per se colere. Saserna dicebat ab eiusmodi homine fere pro mercede litem reddi. Propter quod operam dandam esse, ut et rusticos et eosdem assiduos colonos retineamus, cum aut nobis metipsis non licuerit, aut per domesticos colere non expedierit; quod tamen non evenit, nisi in his regionibus, quae gravitate caeli solique sterilitate vastantur. Ceterum cum mediocris adest et salubritas et terrae bonitas, numquam non ex agro plus sua cuique cura reddidit quam coloni; nonnumquam etiam villici, nisi si maxima vel neglegentia servi vel rapacitas intervenit. Quae utraque peccata plerumque vitio domini vel committi vel foveri nihil dubium est; cum liceat aut cavere, ne talis praeficiatur negotio,

aut iam praepositus ut submoveatur curare. In longinquis tamen fundis, in quos non est facilis excursus patris familias, cum omne genus agri tolerabilius sit sub liberis colonis quam sub villicis servis habere, tum praecipue frumentarium, quem et minime (sicut vineas aut arbustum) colonus evertere potest, et maxime vexant servi, qui boves elocant, eosdemque et cetera pecora male pascunt, nec industrie terram vertunt, longeque plus imputant seminis iacti quam quod severint; sed nec quod terrae mandaverint sic adiuvant, ut recte proveniat, idque cum in aream contulerunt, per trituram cotidie minuunt vel fraude vel negligentia. Nam et ipsi diripiunt, et ab aliis furibus non custodiunt. Sed nec conditum cum fide rationibus inferunt. Ita fit ut et actor et familia peccent, et ager saepius infametur. Quare talis generis praedium, si, ut dixi, domini praesentia caritatum est, censeo locandum.



4<sup>th</sup> Century CE mosaic. See – everyone hates geese.

## Gardening before Guys

Ovid, *Metamorphoses*, 14.623-642

*This is a little bit of Ovid's Metamorphoses which features what appears to be a native Italian myth about a nymph called Pomona who (initially) lives an idyllic life, dedicated to her fruit trees and her garden.*

Rege sub hoc Pomona fuit, qua nulla Latinas  
inter hamadryadas coluit sollertia hortos  
nec fuit arborei studiosior altera fetus; 625  
unde tenet nomen: non silvas illa nec amnes,  
rus amat et ramos felicia poma ferentes;  
nec iaculo gravis est, sed adunca dextera falce,  
qua modo luxuriem premit et spatiantia passim  
bracchia conpescit, fisso modo cortice virgam 630  
inserit et sucos alieno praestat alumno;  
nec sentire sitim patitur bibulaeque recurvas  
radicis fibras labentibus inrigat undis.  
hic amor, hoc studium, Veneris quoque nulla cupido est;  
vim tamen agrestum metuens pomaria claudit 635  
intus et accessus prohibet refugitque viriles.  
quid non et Satyri, saltatibus apta iuventus,  
fecere et pinu praecincti cornua Panes  
Silvanusque, suis semper iuvenilior annis,  
quiique deus fures vel falce vel inguine terret, 640  
ut poterentur ea? sed enim superabat amando  
hos quoque Vertumnus neque erat felicior illis.



Pomona and Vertumnus, Laurent Delvaux, 1725